



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 15. Constantini Monomachi obitus. Theodora Imperatrix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

esse putavimus, ne Romanis occasionem ^{Sæculum XI.}
 scandali darem, præsertim cum ille, qui ^{A.C. 1054.}
 Legationis princeps videbatur, se Ecclesiæ
 Romanæ Cancellarium, Regis & Papæ
 propinquum diceret. At Libellum im-
 pium in magna Consilii aula jubente Impe-
 ratore anathematizavimus, postquam bos
 Legatos exhortati fuissimus, ut venirent,
 & coram nobis errores suos abjicerent.
 Ipsi econtra sibi ipsis manus violentas illa-
 turos comminati sunt, si quis invitos
 ad rem indignam vellet compellere. Hæc
 tibi scribimus, ut quæ gesta sint, scias, &
 si quid literarum Roma acceperis, pro tua
 prudentia caute respondeas. Mitto tibi
 etiam epistolas, aliis Patriarchis inscri-
 ptas, & huic omnino consentaneas, quia
 neminem inveni, cui eas tuto committe-
 rem, has eis reddi cura, & junge tuas,
 quibus eos ad Fidem Orthodoxam defen-
 dendam exhorteris, & quid respondeant,
 si de iis, quæ Romæ acta sunt, interrogen-
 tur, edoceas.

§. XV.

Constantini Monomachi obitus. Theo-
 dora Imperatrix.

Eodem anno millesimo quinquagesimo ^{Mich. Psel.}
 quarto Constantinus Monomachus ^{I. M. S. Ce-}
 Imperator ex podagræ doloribus, quibus ^{dre. p. 790.}
 toto Regni sui tempore afflictus fuerat, ^{791.}
 obiit. Hilaris animi Princeps, ex quo

R r 3

Impe-

Sæculum XI. Imperium consecutus fuit, totum se quieti & voluptati dedit; unde ejus pigritia

A.C. 1054.

Zonar. lib.

XVII. c. 27.

28.

Reipublicæ vires haud parum accisæ. Sclerenæ nobilissimæ stirpis femina amore captus, non nunquam inter ipsam & Zoem Imperatricem medius conspici sustinuit. Zoem, cui in acceptis referebat, quod Imperator esset, annos natam septuaginta duos ante ipsum e vivis profectam, dissimulatis defunctæ vitiis & criminibus, Sanctarum matronarum catalogo inseri cupiebat. Elata uxore Concubinam barbaram ex natione Alannorum amavit, cui titulum *Sebastæ*, id est *Augustæ*, tribuit, cum eam publice Imperatricem denunciare verecundaretur. Inter hæc Monasterium magnifici operis honori S. Georgii Sacrum in loco, qui *Mangane* dicebatur, extrui jubebat, quod ut posset perficere, tributis immodicis imperatis populi invidiam in se concitavit. Attamen comperto, quod in Magna Ecclesia Constantinopolitana non nisi in Festis præcipuis, in Dominicis & Sabbatis S. Sacrificium offerri inopia permetteret, opes suppeditavit, unde quotidie celebrari posset, eidemque Ecclesiæ Vasa pretiosa aliaque ornamenta plurima donavit. Tandem e vita decessit trigesima Novembris, anno millesimo quinquagesimo quarto, Indictione octava, postquam annis duodecim & mensibus ferme

ferme sex imperasset, atque in suo Monasterio Manganensi sepultus est. Tum Theodora Zois soror sola Augusta salutata anno uno & mensibus novem femina viris imperavit. Constantini ætate duo Duces Patzinacorum, de Gente Scytharum, cum multis popularibus suis ad Fidem conversi sunt, præsidium contra Principem suum, a quo male afficiebantur, habituri. Unde dubitandi superest locus, an ejusmodi Barbaros vel veritas magis, vel proprii commodi spes ad amplectendum Religionem Christi permoverit.

Sæculum XI.
A.C. 1054

Cedr. p. 775.

§. XVI.

Concilium Narbonense.

In Francia eodem anno millesimo quinquagesimo quarto, Indictione septima, vigesima quinta Augusti Narbonæ celebratur Concilium decem Episcoporum; aderant nempe Concilii Præses Guifredus Archiepiscopus Narbonensis, Bernardus Biterrensis, Guntherius Agathensis, Rostagnus Lutevensis, Arnaldus Magalonensis, Frotarius Nemausensis, Guifredus Carcassensis, Berengarius Gerundensis, Guifredus Barcinonensis, & Guilielmus Albigenensis. Ceterum hoc Concilium Archiepiscopi industria, & opitulantibus Comite Petro Raimundo atque Berengario Vicecomite convocatum, cui

tom. 9. Conc.
p. 1072.

Rr 4

etiam